

ordinavit septem cardinales Romanos in subsidio Romane ecclesie et suorum consanguineorum. Et plura fecisset, nisi quod morte preventus Viterbii obiit; ibidemque sepultus est. [Obiit autem die XVIII. Augusti¹⁾.

CLXXXVIII. Martinus III^{us}, qui prius vocabatur dominus Simon de Turso, Gallicus presbiter cardinalis, sedit annis tribus, mensibus duobus²⁾. Anno Domini MCCLXXX. electus fuit a cardinalibus Viterbii. Hic fuit magnanimus et prudens et habitavit in Monteflascone, ubi fieri fecit arcem inexpugnabilem et plura palatia pro habitatione sua et suorum. Set parvus fuit in erogandis ecclesie opibus, dicens consanguineis suis, quod bona erant ecclesie et non sua, et sic eos in Galliam remisit inanes.

Prologus in opusculo Romanorum imperatorum.

Queris³⁾, clarissime vir marchio, heroum gesta posse faciliter et cito internoscere bonaque et mala que illis evenerant, ut omnium fine notato cautior fias et tamquam in speculo sic in his vitam hominum inspicias. Ego igitur libens calculantis more rem magnam brevi ratione summabo. Quia non modicum confert commoditatis ad cognitionem rerum gestarum, presertim postquam venit tempus gratie, quo Rex universi et Urbem et orbem totum ad unam redigi voluit monarchiam, noscere annos, quibus quisque principum imperavit, non per modum narrantis, set potius numerantis, singula tempora breviter, immo transcurrenter lucido sermone perstringam. Est autem utiliter presciendum, quod omnes hystoriarum scriptores catholici sive in obsequium fidei sive ob aliam causam sicut Orosius in orimesta⁴⁾ mundi, et alii plures scriptores a Cesare Augusto incipiunt, quia sub eo Christus nasci dignatus est, a quo incepit primitiva ecclesia, vel quia diutius imperavit et salubrius rem publicam gubernavit. Unde velle videtur, quod C. Cesar potius fuid quidam imperii precursor, sicut Iohannes baptista precursor Domini. Omnes vero gentiles hystorici a C. Iulio Cesare incipiunt, sicut Suetonius et alii multi, quos magis sequi intendo, quia non aliud quam veritatem tradere posteris curarunt.

Anni mundi 4450. Roma hedificata fuit a Romulo anno a creatione mundi 4450.

1) Das Eingeklammerte ist von anderer Hand und mit anderer Tinte hinzugefügt. Nicolaus III. starb am 22. August 1280. 2) Vielmehr 4 Jahre und mehr als einen Monat. 3) Die Initiale Q fehlt. 4) 'De orimesta mundi' wird das Werk des Orosius von mehreren Autoren des Mittelalters und in Hss. der Historiae genannt. Siehe Ducange-Henschel s. v. über das unerklärliche Wort, das hier offenbar 'Schöpfung' bedeutet und vom Autor wohl mit 'oriri' in Zusammenhang gedacht ist.